



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Vtrum homo ante peccatum egerit gratia operante, & cooperante. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

teneamus, quod Hieronymus in explanatione fi-
dei catholicæ ad Damasum papam, Ioviniani, &
Manichæi, & Pelagii errores collidens docet: Li-
berum, inquit, sic confitemur arbitrium, ut dica-
mus nos semper indigere Dei auxilio, & tam illos
errare qui cum Manichæo dicunt, hominem pec-
catum vitare non posse, quam illos qui cum Iovi-
niano asserunt, hominem non posse peccare. V-
terque tollit arbitrii libertatem. Nos vero dici-
mus hominem semper & peccare & non peccare
posse, ut semper nos liberi confitemur esse arbi-
trii. Hæc est fides quam in catholica Ecclesia didi-
cimus, & quam semper tenuimus.

*Hieron. in
expositione
Symboli, in
fine, tom. 4.*

VTRVM HOMO ANTE PECCA-
tum egerit gratia operante & cooperante.

DISTINCT. XXIX.

A

Post hæc considerandum est, utrum homo an-
te peccatum egerit gratia operante & coop-
erante. Ad quod breuiter dicimus, quia non co-
operante tantum, sed etiam operante gratia indi-
gebat, non quidem secundum omnem operandi
modum operantis gratiæ: operatur. n. liberando
& præparando voluntatem hominis ad bonum.
Egerat itaque homo ea, non ut liberaret volunta-
tem suam, quæ peccati serua non fuerat, sed ut præ-
pararet ad volendum efficaciter bonum quod per
se non poterat. Non enim poterat bonum mereri si-
ne gratia, ut Au. in Enchirid. euidenter tradit. Illa,
inquit, immortalitatem in qua poterat non mori
natura humana, perdidit per liberum arbitrium, hæc
vero in qua non poterat mori. acceptura est per gra-
tiam, quæ fuerat, si non peccasset, acceptura per me-
ritum: quæuis sine gratia nec tunc ullum meritum esse po-
tuisset, quia et si peccatum in solo erat arbitrio consti-
tutum, non tamen iustitiæ habendæ vel retinendæ suf-

*De potesta-
te lib. arb.
primi homi-
nis: utrum
eegerit gra-
tia operante
& cooperan-
te secundum
statum na-
tura institu-
ta.
C. p. 106. in
principio
tomo 3.*

Ee

ficie.

faciebat liberum arbitrium, nisi diuinum præberetur adiutoriū. Ecce his verbis satis ostenditur, quod ante peccatum homo indigebat gratia operante & cooperante. Non enim habebat quo pedem mouere posset sine gratiæ operantis & cooperantis auxilio, habuit tamen quo poterat stare.

Quod homo ante lapsum virtutes habuerit.

Præterea queri solet. Vtrum homo ante lapsum virtutē habuerit. Quibusdam videtur quod non habuerit, id ita probare conantibus. Iustitiā, inquit, nō habuit, quia præceptum Dei contempnit: nec Prudentiā, quia sibi nō prouidit: nec temperantiam, quia aliena appetit: nec fortitudinem, quia prauæ suggestioni cedit. Quibus respondentes dicimus, eum quidem non tunc habuisse has virtutes quando peccauit, sed ante, & tunc amisisse. Quod multis sanctorum testimoniis comprobatur. Ait enim August. in quadam homilia, Adam de limbo tertia ad imaginem Dei factum, pudicitia armatum, temperantia compositum, charitate splendidum, primos parentes illis donis ac tantis bonis exposuit, pariterque peremit. De hoc eodē Ambr. ad Sabinum ait: Quando Adam solus erat, non est peruariatus: quia eius mens Deo adhærebat. Super psalm. quoque dicit. Quod homo ante peccatum beatissimus, auram carpebat ætheream. Sed quomodo sine virtute beatissimus erat? Aug. quoque super Gen. dicit; Adam ante peccatum spiritali mente præditum fuisse. Non est ergo dubitandum hominem ante peccatum virtutibus fuisse, sed illis per peccatum expoliatum fuisse.

De eiectione hominis de paradyso.

In illius quoque peccati poenam eiectionem est de paradyso in istum miseriarum locum, sicut in Genes. legitur, Nunc ergo ne forte mittat manū suam, & sumat de ligno vitæ, & cōdat, & uiuat in eternū, emisit eum Deus de paradyso voluptatis. His verb.

insinuari

*Amb epist.
41. ad principium t. 3.
Idem sermone 4. ad versum adhaesit.
Psalm. 118.
Aug. de Genes. li. 1. ca. 42.
in fin. li. 1. 3.*

Genes. 3. 6.